



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficult. 3. Quod eandem formale distributivæ & ejus
specificativum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

ceptione cuius sit, ut in contractu & commercio humanis aliquis, non patitur damnum. Unde apparet iustitiam commutativam respicere in persona, cui tribuitur jus, potentiam quantum patendi damnum, in humanis commerciis & contractibus, curatque facere commutativa, ut hæc commercia & contractus fiant sine damno alterius, nec attendit ad quantitatem dignitatis personæ, sed solum ad quantitatem damni, nisi forte accadat, dignitatem personæ facere, ut damnum sit majus.

Iustum autem distributivum, ut tale, non respicit damnum personæ, cui illud est tribuendum, sed ad dignitatem personæ, cui est proportionale dandum. Duplex autem est in natura rationali potentia. Prima est potentia propria indigentis, potentis recipere bonum & malum, cui prospicit iustitia commutativa: nec aliter prospicere potest, nisi constituendo æqualitatem inter datum & acceptum necessarium. Alia est potentia benefactiva, & hæc est propriè dignitas, cui propriè non debetur lucrum, sed honor. Quod autem virtus benefactiva sit dignitas, patet: quia honor, per Aristotelem, est signum virtutis beneficæ & debitum eidem, at, honorem, certum est, esse dignitatis signum, & deberi dignitati. Ergo, virtus benefactiva est dignitas. Hoc itaque curat iustitia distributiva, ne impediatur virtus benefactiva, sed potius promoveatur ac juvetur, quod idem est ac curare ne impediatur, sed promoveatur virtus activa boni communis. Nam virtus benefactiva commune quoddam bonum est, neque solum quaerit bonum habentis eam virtutem, sed radios bonitatis, extra se diffundit. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Videtur supponere, quod sola commutativa, damnum amolitur, cum hoc amolitur etiam distributiva, & si utraq; amolitur injuriam, utraque amolitur damnum: hæc enim in præsentem idem valent. Ecce tamen non est ratio, cur non solvere pro calceis quantum debes, inferat damnum, & non inferat damnum, non habere tantum de præmio, quantum debetur. Tum quia. Videtur supponere, quod iustitia distributiva, quæ talis, respiciat dignitatem personarum, cum respicientia hæc spectet ad prudentiam prætaxantem, hocque ipso non respiceret iustitia medium rei, si formaliter respiceret dignitatem, cum dignitas non sit res, sed id, cui res debentur. Tum quia, quando nomine dignitatis accipit virtutem benefactivam, aut hanc dignitatem accipit, secundum quod est in distribuente, vel secundum quod est in eo, cui distribuitur: si accipit secundum, quod est in distribuente. Ergo, distribuens in distributione respicit se ipsum: quia respicit dignitatem benefactivam, in se inclusam. Ergo, ulterius, non bene merito, sed sibi proportionat præmia, consequenter

non respicit alterum, sed se. Si autem consideretur dignitas, secundum quod est in eo, cui distribuitur, negatur universaliter bene illam circumscribi, quod sit virtus benefactiva, quod ipsum exinde ostenditur: nam quando aliquis pluribus dat eleemosynam, habet virtutem benefactivam, à qua denominatur benefactor, nec tamen per hoc dignitatem acquirit, de qua hic. Rursus dignitas stare potest, etiam si non sit benefactio, hinc si in Repub. Angelorum debeat esse distributio honoris, quamvis non intercederent ulla beneficia ad invicem, tamen dari deberet honor, secundum ipsam excellentiam entitativam, adeoque dignitatem physicam: & tamen sine formalitate beneficientis. In ipso etiam Deo, formalitas digni, & formalitas beneficientis, longè est alia.

Denique virtus benefactiva fundat erga se gratitudinem, deberet autem fundare non nisi debitum distributivæ. Hocque respicit etiam sensus communis: nam non dicuntur benefactores ii, quibus distribuitur aliquid, sed ipsi distribuentes, dicuntur benefacere bene meritis, &c. Si autem nomine virtutis benefactivæ intelligas virtutem merendi, de hoc ipso quaeritur quod formale, iustitiæ distributivæ quæ retribuit hominis virtuti meritivæ.

Punctum Difficultatis 3.

Quod tandem formale distributivæ, & ejus specificativum?

Diximus in materia, de medio rei, quod attendere ad æqualitatem geometricam, spectet ad distributivam completè sumptam; & secundum quod ad illam reducentur, quæcunque nexa & requisita; licet ipsum illud attendere, spectet ad prudentiam, sequens autem hanc taxam æqualitas, spectat ad distributivam, hocque in superioribus dictum: hujus autem æqualitatis, quodnam sit formale nunc dicendum.

EXPLICATUR Formale distributivæ. Sicut in scientiis & habitibus, non repugnat, ut eadem ratio à pluribus attingatur sub diverso formali, ita & idem bonum commune attingere possunt, etiam diversæ species iustitiæ, modo id sub alia & alia formalitate faciant. Cum enim & ipsum bonum commune sit capax terminare alias & alias in se tendentias, dari etiam debent virtutes, illis rationibus attendentes, ut ita potentia actus, & actibus potentia commensuretur.

Porro bonum commune dupliciter, quantum ad præsens, attingi potest. Vel enim attingitur bonum commune, tanquam curandum ab ipsismet privatis, augentibus fortunam communis, dum ei se iustant, & hoc, ut dictum supra, faciet iustitia legalis; vel attingi potest bonum commune, tanquam participandum ab ipsis-

* K

ipsismet partibus illius communis, ita, ut ex illa participatione, in se derivata, à communitate, augeatur, fortuna ipsiusmet privati, & hoc spectabit ad iustitiam distributivam, ut voluit ipse S. Thomas sup. cit. *Premisso primo*

Quod ipsum complere fortunam ipsiusmet privati, spectabit ad alium, qui non sit ipsemet ille privatus: quia esset omnino disordinatum, ut sibi quisq; , quantum voluerit, de bonis communibus depromat: quia facile fieret injuria, uno sibi omnia arrogante, vel plura, quam illi debeantur. Et si nunc cum alii distribuunt, stimulantur, accipientes distributa, ad plus habendum, multo magis stimulantur, si esset penes ipsos licentia, de bonis communibus participandi. Cujus hæc ratio assignari etiam posset: quia amor quo unusquisq; in se fertur, est principium arrogandi sibi; & querendi bona, quæ arrogatio ex duplici principio in nobis deordinatur. Imprimis ex defectu notitiæ nostræ, attollit enim nos nobis, nostra cognitio, cui vult se æquare amor, & sibi plura, quam debeantur, addicere bona. Deinde, quia amor noster, & notitiæ de nobis est finita, vultq; ulterius & ulterius crescere, fitq; ut limites debiti transcendat. Unde Deus est rectissimus in amore sui, & titulo suæ notitiæ, & titulo infinitudinis, quæ excludit incrementum amoris, ultra debitos fines. Debebat ergo aliud esse principium distribuens bona hæc communia, & non ipse is, cui distribuitur, ut ita reliqui ab injuria serventur indemnes. Quando ergo habetur æqualitas in partibus, ita ut participant ex bonis communibus, secundum quod illis debetur, tunc habetur formale, & intentum distributivæ, respicientis quidem bonum commune sub formalitate participabilis à partibus, secundum quod illi debetur, quæ respicientia nulli alteri præter distributivam convenit.

Breviter. Formale Distributivæ est Æqualitas ad jus partium in bona communia, respectivè ad dignitatem uniuscujusque dividenda. Vel est æqualitas participandi bona communia.

PROBATUR hæc Explicatio. Quia convenit omni soli, semper, proceditque per prima in hoc genere. Idem probat auctoritas Aristotelis 5. Eth. c. 2. explicantis distributivam per divisionem communium in privatos. Verba illius sunt: *iustitia particularis jurisq; ejus, quod ad ipsam attinet, una species est quæ in distributionibus, aut honoris, aut pecuniarum, aut ceterarum rerum consistit, quæ dividi in eos possunt qui ejusdem civitatis participes sunt.*

PROBAT idem auctoritas S. Thomæ sup. cit. *Premisso I.*

DICES I. Non est formalitativa distributivæ æqualitas, secundum proportionem geometricam. Ergo, neq; æqualitas divisionis bonorum communium secundum dignitatem.

RESPONDERI potest. Respicientiam ad dignitatem apponi non nisi ad retinendam phrasin Aristotelis, majoremq; claritatem: sufficit autem dicere, quod formale illius sit æqualitas ad jus partium, in bona communia, licet præsupposita taxa dignitatis quam facit prudentia.

DICES 2. Nomine dignitatis vel venit titulus, secundum quem hic debeat præferri alteri, & ad talem dignitatem respicit etiam commutativa: nam præfert creditores non creditoribus; vel nomine dignitatis venit prælatio desumibilis ex honoribus, & sic ante distributivam requireretur distributiva: quia in prima etiam collatione honoris, est actus distributivæ, consequenter respicere deberet dignitatem non primo conferre, ex quo sequeretur vel processus in infinitum in attendendo ad dignitates ante dignitates, vel sequeretur nunquam posse esse actum primum distributivæ.

RESPONDETUR. Nomine dignitatis, intelligitur hic æstimabilitas moralis personæ, attollens eandem, ut ejus potior ratio in distributionibus habeatur.

DICES 3. Ipsummet Aristotelem respicientiam dignitatis ponere pro formalitativo distributivæ.

RESPONDETUR. Non ponit Aristoteles dignitatem pro formalitativo distributivæ, sed pro connexo distributivæ. Certè enim dignitas potest spectari etiam à liberalitate, quam tamen, non constituit in formali distributivæ. *Hoc præexplicatio*

DICENDUM est. *Differre specie distributivam à reliquis iustitiæ speciebus.* Est conclusio contra Burid. & Gualand. quibus favet Vasq. Oppositum tenet communis sententia, cum Val. Lug. Esparza &c.

PROBATUR I. Auctoritate Arist. 5. Eth. c. 1. Verbis sup. cit. expresse appellat distributivam unam speciem iustitiæ; & S. Thomæ hic q. 61. in procem. *iustitia, inquit, duæ species, quarum altera commutationum, altera distributionum modetratrix est.*

PROBATUR 2. ex Val. Illæ virtutes differunt specie, quarum actus, ex ratione formali sui objecti, habet diversam laudem & difficultatem. Talis est actus distributivæ: alia est enim laus bene distribuere, alia iuste vendere, habetq; difficultatem specialem: quia distributiva dat commune, quod in proprios usus, ut convertat distribuens, proclive est, proclive est item affectu moveri in distribuendo.

PROBATUR 3. Illa iustitia differt specie à reliquis, quæ diversum habet formale à reliquis; cum formale diversificet specie. Sed distributiva habet diversum formale: quia cujus formale est tale, ut compositionem terminorum differentialium habeat talem, quæ sit diversa à compositione terminorum differentialium, quæ reperitur in aliis speciebus iustitiæ, illius formale est

le est distinctum à reliquis; cum formale stet compositione terminorum differentialium. Sed distributiva habet compositionem terminorum differentialium distinctam ab aliis iustitiis, quia compositio terminorum differentialium distributivæ, est æqualitas ad jus partium in bona communia; quam compositionem nulla alia iustitia dicit, quæ enim illa? Et certè commutativa non versatur circa æqualitatem in bonis communibus, sed circa æqualitatem in bonis privatis: aliàs nulla fierent de novo acquisitiones juris, si omnia etiam ante commutationem, communia sunt. Rursus legalis iustitia, licet respiciat æqualitatem ad bonum commune, non tamen habet eandem compositionem terminorum differentialium: quia in legali attenditur ad æqualitatem, ad jus communitatis, in distributiva ad æqualitatem, cum jure partium: per legalem expletur fortuna communitatis, per distributivam, fortuna privatorum bonis publicis, non est ergo utrobique eadem compositio terminorum differentialium.

DIXI. Non esse eandem compositionem terminorum differentialium, non autem non esse eosdem terminos differentiales: quia & in legali & in distributiva reperitur, Ly æqualitas, Ly privatus, Ly bonum commune, sed non est eadem compositio, quod sufficit ad differentiam specificam. Ad eum modum, quo Patri esse filium; & filio esse Patrem, sunt utrobique idem termini, & tamen alia est species constitutiva in ratione causæ, quæ talis, alia constitutiva in ratione effectus, quæ talis, quæ comparatio causæ & effectus, est inter patrem, & filium.

OBJICITUR 1. Vindicativa non differt à commutativa & distributiva, cum iudex in pœnis, procedat secundum rationem vel commutativæ vel distributivæ. Ergo, nec different species Commutativa & Distributiva.

RESPONDETUR. Etiam vindicativam, secundum quod est volitio boni publici, resultantis ex malorum punitione, differre specie à reliquis, licet vindicativa ordinariè non numeretur inter species iustitiarum: quia, ut ait Valentia, vindicativa sic sumpta, non est iustitia, sed virtus annexa iustitiæ: non enim secundum suam propriam rationem constituit æqualitatem propriè dictam. Sed de hoc infra.

OBJICITUR 2. Tam distributiva quàm commutativa, reddit unicuique quod suum est. Ergo, non differunt specie.

RESPONDETUR. Per rationem, quia hoc suum est, non differre iustitias; quæ hæc est ratio generica; differunt tamen ratione motivi reddendi, & ratione modi ipsius suum est.

INSTABIS 1. Etiam hoc motivum non est sufficienter diversificativum: quia diversitas de sumibilibus ex pluralitate, vel paucitate personarum, non potest sufficienter diversificare virtutes: aliàs specie distincta esset commutativa,

quæ reddit debitum decem personis, ab ea, quæ reddit debitum uni.

RESPONDETUR. Paucitatem, vel pluralitatem merè numeralem, non diversificare iustitias, cum ipsa paucitas, vel pluralitas merè numeralis, non adferat ullam diversitatem: quam enim illam? videturque numerus ad hoc se materialiter habere, ut colligere est ex proportionem ad alia, quæ & quidem evidenter, non nisi materialiter se habent. Caterum pluralitas vel paucitas non merè numeralis, potest diversificare virtutes, sicut etiam diversificantur specie arithmetica, & geometria attendente geometrica non meram pluralitatem numeralem, sed ut habet rationem proportionis plurium, ita diversificabitur distributiva, quia non attendit ad meram pluralitatem, numeralem, sed ad æqualitatem in bonis communibus, quæ talibus, hoc formali restringendo illam pluralitatem numeralem.

INSTABIS 2. Ipsa illa ratio æqualitatis in bonis communibus materialiter adhuc se habet ad distributivam: quia ita se habet ac ea, ad quæ in iustitia commutativa attenditur æqualitas, cum persona v.g. spiritali vel seculari, cum persona publica vel privata.

RESPONDETUR. Rationem publicæ vel privatæ personæ habere se non nisi per modum subiecti, cui redditur debitum, quæ ratio subiecti materialiter se habet: restringitur enim ulterius per æqualitatem intentam à iustitia. Jam autem æqualitas bonorum communium, à nulla alia æqualitate restringitur in iustitia.

INSTABIS 3. Etiam posito, quod æqualitas in bonis communibus, à nulla alia virtute restringatur, nihilominus non constituit in specie distincta distributivam: bene enim revocari potest ad legalem, vel liberalitatem.

RESPONDETUR. Quod non possit revocari ad legalem dictum supra; quod non possit revocari ad liberalitatem; ratio est: quia liberalitas non est ex debito, ex debito autem procedit distributiva.

OBJICIT 3. Datur manifesta, & notabilis convenientia commutativæ & distributivæ. Ergo, inter se non distinguuntur specie. Nam diversitas specifica, stat in notabili diversitate. Prima convenientia est, attendere ad dignitates, ad quas etiam commutativa attendit, ut cum minus laborantibus, minus solvit. Secunda convenientia est, attendere ad datum & acceptum: quia privatus per hoc intelligitur mereri honorem, quia facit aliquid propter illum, à quo meretur. Tertia convenientia est in attendentia ad æqualitatem in bonis communibus: Nam hoc & distributivæ & commutativæ convenit; ex jure enim v.g. Polonico omnes filii æqualiter succedunt, stanteque, partitione bonorum in partes æquales faciendæ à majori natu, electio tantum est penes minorem natu; quæ

divisio spectat ad commutativam, attenditurque tunc commutativa ad æqualitatem in bonis communibus. Ergo, apparet, has virtutes non esse distinctas specie.

RESPONDETUR. Quod attinet ad primam convenientiam, illa quidem datur, sed cum distinctione: quia commutativa non nisi interdum attendit ad dignitatem, semper distributiva. Quod attinet ad secundam convenientiam, attendit etiam distributiva ad datum & acceptum, sed hoc ipsum ordinat ad æqualitatem in bonis communibus, quod non convenit commutativæ. Quod attinet ad tertiam convenientiam, interdum quidem commutativa attendit etiam ad æqualitatem in bonis communibus materialiter, hoc est, quæ non uni debentur, sed non ad æqualitatem in bonis communibus formaliter: quia bona communia formaliter, sunt bona communia à communitate, vel in humanis à persona communitatis gerente, sunt, inquam, bona contributa uni, sunt idem bona communia; ita, ut ipsa illorum divisione & distributione, non solvatur communitas, sed perficiatur. Jam autem solvitur communitas, facta divisione hæreditatis.

Denique non sunt illa bona communia formaliter: quia posita divisione hæreditatis, non habetur jus jam in bona illa, posita autem distributione, retinet jus ad rem Respublica, dato jure, in re, privato.

Ex eo autem quod justitia non respiciat jus simpliciter, sed tale secundum quid; item quod post distributivam maneat adhuc ad illam rem jus communitatis, si res non sit usu consumptibilis &c. solum probatur, non esse distributivam rigorosè justitiam, cum nec accipiat suum rigorosè, utpotè commune.

DIFFICULTAS III.

Inferitur Quædam ex dictis.

INFERTUR I. Quid sit sentiendum de illa Quæstione, quam movet cit. Valentia. An scil. distributiva attendat ad rectam habitudinem ipsius communitatis erga suas partes? An ad rectam habitudinem seu æqualitatem partium communitatis inter se? hocque posterius asserit Valentia, sed prius illud verum videtur.

RATIO. Quia, concedo quidem ad hanc etiam posteriorem habitudinem æqualitatemque, attendi à distributiva, sed nego attendi primo. Unde comparando utramque illam formalitatem, hæc erit formale distributivæ, ad quam primo attenditur; sicut prius rationale & non risibile restringit animal, ipsaque risibilitas est quid consequens, ex quo deducitur rationale esse formale hominis; ita quia primo attenditur ad rectam habitudinem communitatis erga suas partes, illa potius erit formale.

Quod autem primo ad id attendat distributiva, vel exinde colligitur: quia illa recta habitudo communitatis erga suas partes, non aliud in re est, quam ipsa datio, quæ datio, prior est acceptione, & tamen ipsa recta habitudo partium inter se, est in re, ipsamet acceptio tanti. Unde id etiam voluit S. Thomas, qui per ordinem & conjugationem communitatis ad partes, vestigat & explicat distributivam.

DICES cum Valentia. Actus distributivæ, cum sit actus justitiæ propriè dictæ, debet respicere æqualitatem propriè dictam, quæ non stat in recta habitudine communitatis ad suas partes, neque enim datur æqualitas, propriè dicta, totius ad partem. Stare ergo debebit in recta partium habitudine inter se.

RESPONDETUR. Cum Valentia; nomine propriè dictæ justitiæ intelligat rigorosam; negandum erit, distributivam esse propriè dictam justitiam.

INSTAT ex 5. Eth. c. 5.

RESPONDETUR. Illo loco solum hoc dicere Philosophum, quod attendat distributiva, ad æqualitatem partium. Sed non discurret de hoc: an primo ad id attendat? in quo tamen est difficultas. Quanquam si attendatur pressè ad verba, videtur Aristoteles nostram sententiam docere: nam loquens de distributionibus, dicit, *unde fit, ut alteri minus exhibeatur*. Ubi meminit exhibitionis; quæ idem est certè, quod datio, adeoque, habet rationem prioris præ acceptione, quæ acceptione, æquantur partes inter se.

INFERTUR 2. ex dictis. In quonam deficiat distributiva à rigore justitiæ: deficit enim in eo, quod est reddere unicuique quod suum est; bona autem, ad quæ distributarius habet jus, sunt bona communia; adeoque non nisi quodammodo sua; deficit rursum in alteritate: quia justitia distributiva in humanis, est in communitate, vel personam gerente communitatis, dum est æquus Partibus; non datur autem alteritas rigorosa inter communitatem & partes; deficit denique saltem in aliquibus actibus: quia quod cum rigore justitiali, adeoque cum pleno dominio possidet, excludit temporaneum dominium alius; jam autem ad dignitates collatas, semper manet jus ad rem, in communitate.

INFERTUR 3. Etiam distributionem onerum æqualium spectare ad distributivam. Est illatum Lugonis. *Pensanda sunt ejus Rationes.*

1. RATIO ex Lugo est. Quia ille actus respicit per se & formaliter æqualitatem proportionum, quod est proprium distributivæ.

RESPONSUM supra, hanc respicientiam, non soli distributivæ convenire. Deinde hic de ipso materiali quæritur, quod sunt onera, an illa sint materia distributivæ? ad eum modum, quo in gloria potest haberi æqualitas arithmetica, & tamen illa, non est materia venditionum.

2. RA-